



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

III. iterum de Jesu.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

PROPOSITIO III.

24

Christi prodigiis. XX. De virtutibus Christianorum. XXI. De Christiana Religionis incrementis, & Christianorum martyriis. XXII. Christo Jesu divini honores tributi ab aliquibus Romanorum Imperatoribus. XXIII. Defenditur adversus Casaubonum Lampridii testimonium de Templis Jesu Christo ab Hadriano exstructis. Πόλεμος. I. Jesus est Messias.

Probatum ex consensu Scripturam Novi Testamenti; & suffragis exterrorum, veraces esse historas.

I. **V**erax ea est historia, quemadmodum scicit Axioma secundum, quæ res gestas ita narrat, uti narrantur in multis libris coætaneis, vel ætati proximi, qua res gestæ sunt. Scriptæ autem in Novo Testamento historiae sunt ejusmodi. Facilis est assumptionis hujus probatio. Cum enim coætaneos esse constet Novi Testamenti scriptores, & singulæ illius historiae, paucis quibusdam exceptis, non ab uno aliquo ex illis, sed ab omnibus uno consensu traditæ sint; puta quæ Matthæus de Christi Jesu morte scripsit, à Marco eadem, & à Luca, & à Johanne, & à Paulo scripta sint, qui Matthæo coætanei fuerunt; plane fatendum est scriptas in Novo Testamento historias, ita narrare res gestas, uti narrantur in multis libris coætaneis. Verum ad pleniorum Propositionis hujus assertionem, Ethnicorum etiam, qui ætatis hujus proximi fuerunt, aliorumque qui disenserunt à Christianis, testimonio pugnabimus. Minime vero ad id necesse est singula Jesu, Apostolorumve Acta repetere, vel alio etiam pertinentis Novi Testamenti historias persequi, quod ab Eusebio factum est: nos illustriora tantum Christi, Christianorumve gesta ac casus hac tractatione complectemur, ut pote quorum præcipue controversa est fides, & ex quorum confirmatione reliquorum probatio consequitur.

de Johanne Baptista, Jacobo fratre Jesu, Jesu ipso, & aliis in Novo Testamento commemoratis;

II. Ac primum Johannem cognomento Baptistam Judæos ad virtutem & pietatem adhortationibus excitasse, aquæ lavacrum dimittendis peccatis adhibuisse, multos ad se allexisse, & ab Herode demum caesum fuisse, testis est Josephus uterque, Matthiades, & Gorionides. Meminit ille quoque Jacobi fratris Christi Jesu, Christianique adeo ipsius, ut mox demonstrabo fufus; meminit Quirinii, Pontii Pilati, Festi, & Felicis; meminit Caiptæ; meminit Johannis, & Alexandri, quorum nomina capituli Actorum quarto Lucas inferuit; meminit Herodis, Herodiadis, & Agrippæ, in iustque commemorandis Novo Testamento consentit.

iterum de Jesu, Joseph. Antiq. lib. 20, cap. 8. Sueton. in Claud. cap. 25.

III. Iisdem temporibus vixisse in Judæa virum quemdam, nomine Jesum, nemo opinor, tam obductæ frontis est qui infitari audeat, neque tot retro sæculis extitit quisquam qui negaret. Si quis fecerit tamen, os ei occludet Josephus; tum Ethnicus infignes, Suetonius, Tacitus, Plinius Junior, Porphyrius, Phlegon Trallianus, Celsus, Numenius, Lucianus; item Trajanus, Antoninus Pius, & Marcus Philosophus, alii que sexcenti.

tum de ejus patria, & parentibus; Cels. apud Origenem, contr. Cels. libr. 1.

IV. Viculo terræ Judææ ortum fuisse Jesum, pauperula puella, fabri materia-rii uxore, victum opera sua quaritante natum, in Ægyptum profugisse agnoscit Celsus Christiani nominis hostis infensissimus. Bethlehemi natum probant Tabulæ Censuales Romanorum, ad quas provocabat Justinus in Apologia secunda, & Tertullianus sæpe adversus Marcionem, & Chrysostomus. Professio illa, quam in Augusti censu ediderunt Josephus, & Maria Jesu mater, ac Jesus ipse infans, in tabulis diligenter relata est, tabulæ ipsæ in archivis aservatæ sunt, neque earum fidem tam confidenter appellassent vetusti illi Christianæ doctrinæ defensores, nisi perspectam eam probe & exploratam habuissent. Quo validissimum sane veritatis argumentum continetur. Præterea spelunca, in qua Jesum filium peperit Maria, ab ipsis Christianæ Religionis adversariis sequenti ævo Bethlehemi ostendebatur, & in ea fuisse Jesu Christianorum doctoris ac magistri cunabula prædicabant. Testis Origenes in libris contra Celsum: testis & Eusebius, qui sua ætate idem fieri solitum narrat ab incolis loci, fama ipsis à majoribus tradita. Itaque locum hunc templo Helena mater, donarius Constantinus filius decorarunt. Atque hinc etiam ad sedem in eo figendam, ejusque sanctitatem per Epistolas celebrandam invitatus est Hieronymus. Nec illic Jesum in lucem editum negant Judæi: imo id ultro agnoscit R. David Ganz in Ger- mine Davidis.

Euseb. Dem. libr. 7, cap. 2.

de nova stella Magis visa, & de infantibus ab Herode occisis; Macrobius, Saturn. lib. 2, c. 4. de virtutibus Jesu,

V. Novum sidus post Christum natum apparuisse, ad eumque Magos venisse, non diffitetur Julianus, sed ad causas naturales stellæ ortum accommodare studet. Atrocem Herodis adversus infantes, suumque adeo filium sævitiam memorabili dicto Augustus persecutus est, *Præstare Herodis porcum esse, quam filium.* Auctor Macrobius in Saturnalibus, cujus verba suo loco accuratius expendemus.

VI. Prophetam fuisse Jesum, futuraque ab eo cognita & prædicta tradidit in Chronicis Phlegon, Hadriani Imperatoris libertus. Edita ab ipso prodigia confessi sunt infi-